CICERONIANA DE vi naturáque legis diſputatio.

Ex lib. 2. de legibus.

M. CIC.

AB Ioue Muſarũ primordia: *ſicut in Aratio carmine orſi ſumus.* Q. Quorſum iſtud? *M. Quia nunc itidem ab eodem & à ceteris diis immortalibus ſunt nobis agendi capiẽda primordia.* Q. Optimè verò, frater, & fieri ſic decet. *M. Videamus igitur rurſus prius quàm aggrediamur ad leges ſingulas, vim naturámque legis: ne, cum referenda ſint ad eam nobis omnia, labamur interdum errore ſermonis: ignoremúſque vim ſermonis eius, quo iura nobis definienda ſint.* Q. Sanè quidem hercle, & eſt iſta recta docendi via. M. *Hanc igitur video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, legẽ neque hominum ingeniis excogitatam, nec ſcitum aliquod eſſe populorum: ſed*

æternum quiddam, quod vniuerſum mũdum regeret imperandi prohibendíque ſapientia. Ita principem legem illam & vltimam, mentem eſſe dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam dij humano generi dederunt, rectè eſt laudata. Eſt enim ratio ménſque ſapientis ad iubendũ & ad deterrendum idonea. Q. Aliquoties iam iſte locus à te tactus eſt, ſed antè quã ad populares leges venias, vim iſtius cœleſtis legis explana, ſi placet, ne æſtus nos conſuetudinis abſorbeat, & ad ſermonis morẽ vſitati trahat. M. A *paruis enim, Quinte, didicimus,* Si in ius vocat, ni it. *atque eiuſmodi leges alias nominare. Sed verò intelligi ſic oportet, & hæc & alia iuſſa ac vetita populorum vim non habere ad recte facta vocandi, & à peccatis auocandi: quæ vis non modò ſenior eſt, quàm ætas populorum & ciuitatum, ſed æqualis illius cœlum atque terras tuentis & regentis*

Dei. Neque enim eſſe mens diuina ſine ratione poteſt: nec ratio diuina non hanc vim in rectis prauiſque ſanciendis habet. Nec quia nuſquam erat ſcriptum vt contra omnes hoſtium copias in ponte vnus aſsiſteret, à tergóque pontem interſcindi iuberet, idcirco minus Coclitem illum rem geſsiſſe tantam fortitudinis lege atque imperio, putabimus. Nec ſi regnante L. Tarquinio nulla erat Romæ ſcripta lex de ſtupris, idcirco non cõtra illam legem ſempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitini filiæ attulit. Erat enim ratio profecta à rerum natura, & ad rectè faciendum impellẽs, & à delicto auocans: quæ non tum denique incipit lex eſſe, cùm ſcripta eſt, ſed tum cùm orta eſt: orta eſt autem ſimul cũ mente diuina. Quamobrem lex vera atque princeps apta ad iubendum & ad vetandum, ratio eſt recta ſummi Iouis.

Q. Aſſentior, frater, vt quod eſt re-

ctum, verũ quoque ſit : neque cum literis quibus ſcita ſcribuntur , aut oriatur,aut occidat. M. *Ergo vt illa diuina mens , ſumma lex eſt : item cùm in homine eſt, perfectum in mente ſapientis. Quæ ſunt autem variè & ad tempus deſcripta populis , fauore magis quã re, legum nomen tenent. Omnem enim legem , quæ quidem rectè lex appellari poßit , eſſe laudabilem , quibuſdam talibus argumentis docent. Conſtat profectò ad ſalutem ciuiũ, ciuitatúmque incolumitatem , vitámque hominũ & quietam & beatã, inuentas eſſe leges, eóſque qui primùm eiuſmodi ſcita ſanxerũt, populis oſtendiſſe ea ſe ſcripturos atque laturos , quibus illi adſcriptis ſuſceptiſque homines honeſti beatique viuerent : quæ cùm ita compoſita ſanctáque eſſent , eas leges videlicet nominarũt. Ex quo intelligi par eſt, eos qui pernicioſa & iniuſta populis iuſſa deſcripſerint , cùm contrà fecerint quàm polliciti profeßique ſint,*

quiduis potius tuliſſe quã leges : vt perſpicuũ eſſe poßit, in ipſo nomine legis interpretando, ineſſe vim & ſententiã iuſti, & iuris legendi. Quæro igitur à te, Quinte, ſicut illi ſolent, quo ſi ciuitas careat, ob eã ipſam cauſam quòd eo careat, pro nihilo habenda ſit, id éſt ne numerãdum in bonis? Q. Ac maximis quidẽ. M. Lege autem carens ciuitas, eſt ne ob ipſum habẽda nullo loco? Q. Dici aliter non poteſt. M. Neceſſe eſt igitur legem haberi in rebus optimis. Q. Prorſus aſſentior. M. Quid quod multa pernicioſe, multa peſtiferè ſciſcuntur in populis, quæ non magis legis nomen attingunt, quàm ſi latores aliquas conceſſu ſuo ſanxerint? Nam neque medicorum præcepta dici vere poſſent, ſi quæ inſcij imperitíq; pro ſalutaribus mortifera conſcripſerint: neque in populo lex, cuicuimodi fuerit illa, etiã ſi pernicioſum aliquid populus acceperit. Ergo eſt Lex, iuſtorũ iniuſtorúmque diſtinctio, ad illam antiquißimã

& rerum omniũ principem expreſſa naturam: ad quam leges hominũ diriguntur, quæ ſupplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos. Q. Præclarè intelligo: nec verò iam aliá eſſe vllá legẽ puto nõ modò habendam, ſed ne appellandã quidẽ. M. *Igitur* T*u*-*tias &* A*puleias leges nullas putas?* Q. Ego verò ne Liuias quidẽ. *M.* Et *rectè: quæ præſertim vno verſiculo ſenatus, puncto temporis ſublatæ ſint. Lex autẽ illa cuius vim explicaui, neque tolli, neque abrogari poteſt.* Q. Eas tu igitur leges rogabis, videlicet quæ nunquã abrogẽtur? *M.* Cert*è, ſi modò acceptæ à duobus vobis erunt: ſed vt vir doctiſſimus fecit* Pl*ato, atque idem grauiſſimus philoſophorũ omniũ, qui princeps de republica conſcripſit, idémq; ſeparatim de legibus eius, id mihi credo eſſe faciendũ, vt prius quàm ipſam legem recitem, de eius legis laude dicam: quod idẽ &* Z*a-leucũ &* C*harondã feciſſe video: cũ qui-*

dem illi non ſtudij & delectationis, ſed reipublicæ cauſa leges ciuitatibus ſuis ſcripſerint. Quos imitatus Plato, *videlicet hoc quoq; legis putauit eſſe, perſuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere.* Q. Quid quòd Zaleucũ iſtũ negat vllũ fuiſſe Timæus? *M. At Theophraſtus, autor haud deterior, mea quidẽ ſententia, meliorẽ eum multi nominant: cõmemorant verò ipſius ciues noſtri clientes Locri: ſed ſiue fuit ſiue non fuit, nihil ad rẽ: loquimur quod traditũ eſt.* Sit *igitur hoc iam à principio perſuaſum ciuibus,* D*ominos eſſe omniũ rerum ac moderatores* Deos: *eáque quæ gerantur, eorũ geri ditione atque numine: eoſdémque optimè de genere hominum mereri: & qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri: piorúmq; & impiorũ habere rationem.* His *enim rebus imbutæ mentes, haud ſanè abhorrebũt ab vtili & à vera ſententia. Quid eſt enim verius,*

quàm neminẽ eſſe oportere tam ſtultè arrogantẽ, vt in ſe rationem & mentẽ putet ineſſe, in cęlo mundóq; nõ putet? aut vt ea quæ vix ſumma ingenij ratione comprehendat, nulla ratione moueri putet? Quem verò aſtrorum ordines, quem dierum noctiúmque viciſsitudines, quem menſium temperatio, quem quæ gignuntur nobis ad fruendũ, non gratũ eſſe cogũt, hunc hominẽ omnino numerari neq; decet. Cúmq; omnia quæ rationẽ habẽt præſtent iis, quæ ſint rationis expertia, nefáſq; ſit dicere vllã rem pręſtare naturę omniũ rerum: rationẽ ineſſe in ea confitendum eſt. vtiles eſſe autẽ has opiniones quis neget? cũ intelligat, quàm multa firmẽtur iureiurando, quantę ſaluti ſint fœderũ religiones, quàm multos diuini ſupplicij metus à ſcelere reuocarit, quámq; ſancta ſit ſocietas ciuium inter ipſos, diis immortalibus interpoſitis tũ iudicibus, tũ teſtibus. Habes legis proœmiũ: ſic enim hoc appellat Plato.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE